

C A P. IV.

De prauorum atque malignorum Dæmonum differentia.

VT Deus, qui est lucis Imperator, est bonitatis Imperator, ita etiam Diabolus, qui est magnus tenebrarum Princeps, est author atque operator mali, vnde factum est, quod vt Deus vtitur pro suis ministris bonis angelis, qui exinde lucis angeli dicuntur, ita quidem viceuerſa Diabolus multas habet sub ſuo Imperio Dæmonum turmas, quæ in legiones diuiduntur, quibus datum est, ſpiritum aereum tam Macro:quam Microcoſmi more maligno in vadere atque nocere, hiſce ergo rebus ex multorum ſcriptorum fide dignorum autoritate confirmatis niſus ego Cacodæmonum multitudinem in hunc modum diſtinguere aggrediar.

Cacodæmones verſantur maligni- ter vel circa	} Spiritum tantum	}	Macrocoſmi A.
			Microcoſmi B.
	} Spiritum & corpus ſimul	}	Macrocoſmi ſolius, C.
			Microcoſmi ſolius D. Vtri- uſque ſimul E.

Vniuerſa tam mundi quam hominis compoſitio fit ex ſpiritu & corpore. At vero, quoniam vtriuſque mundi ſpiritus vniuerſus in tres (vt ſæpius à nobis antea eſt declaratum) regiones diuiditur, Nam primo cælum Empyreum, quæ eſt bonorum angelorum ſedes, à qua maligni angeli ob ambitioſam ſuam rebellionem ad denſam & inferiorem ſpiritus vniuerſi regionem, in exilium quaſi relegantur, & huic ſpiritus mūdani regioni ſuperiori reſpondet ſpiritus in homine intellectualis ſeu rationalis, qui eſt angelica mentis ſedes: Deinde in mūdo eſt media ſpiritus huius vniuerſi ſedes, qui æther dicitur, in quo Angeli ſeu Dæmones Olympici agunt, qui ideo Fati dicuntur diſtributores, quia tam maleuolas quam beneuolas (ſecundū ſummi creatoris placitum) influentias in regionem elementorum impluunt; vtpote à quibus tam dæmones ſublunares boni quam mali vires ſuas in agendo & dominationes ſuas recipiunt. Ex quibus liquet, quod Satan, qui eſt Princeps aeris, nil poſſit ſine permiſſione & influxu vario, ſecundum variam cuiuslibet numerationis ſephiroicæ ſeu portæ lucidæ diſpoſitionem huic ſpiritus mundi regioni mediæ reſpondet ſpiritus in homine vitalis, qui nonnunquam ad ſuperiora & quandoque ad res inferiores & caducas inclinatur. Denique ſpiritus mundi ſublunaris eſt ille, cui (permiſſione diuina) imperat magnus tenebrarum Princeps, cui reſpondet in homine ſpiritus naturalis, quem Paulus *animam animale*m vocare videtur, cuius appetitus verſatur circa carnem & voluptates eius, hinc dicitur *Princeps aeris habere poteſtatem, & operari in filios diſſidentia*, vt infra patebit. Qui autem ſint Cacodæmonum in aere elementari ordines, quæque ipſorum conditiones ex ſequentibus diuiſionis Cacodæmoniacæ membriſ colligere faſ eſt.

Cacodæmones in ſpiritu mundi ſublunari, aere nempe, vires ſuas exercentes, digni- tate differunt, cum alii ſint	}	}	Imperator.	
			} Principatus ſeu Spiritus ordinis ſuperioris.	Reges, F.
				Duces, G.
			Subditi ſeu conditionis inferioris, & ducibus prædictis ſubiecti, qui in cohortes & legiones ab inuicem diſtinctas diuiduntur. H.	

Vt in Cælo Empyræo Principatus, Archangelos, atque Angelos conditionis benignæ reperi-
re licet, ita quidem Lucifer olim ab illo throno deiectus cum ſuis angelis, ſimiles ſub ſe miniſtros,
ordine & dignitate diſtinctos habet, atque hoc etiam ab Apoſtolo confirmatum habemus, cuius
eſt autoritas hæc, *Induite (inquit ille) armaturam Dei, vt poſſitis ſtare contra Diaboli inſidias, quoniam non
eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi reſtores te-
nebrarum harum, contra ſpiritualia nequitia in cæleſtibus &c. Ephes. 6. 12.* Quibus euidenter docet, quod
Diabolus quaſi ſummus nequitia & malignitatis rex, atque imperator habeat ſub ſe ſuos miniſtros
conditione eminentes, quos Principes & poteſtates tenebrarum mundi reſtores & ſpiritualia ne-
quitia vocat Apoſtulus: hinc etiam alibi dicit dictus Apoſtulus, *Ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi
huius,*